



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

II. Quid sit Odor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

sed aëris utrinque; se collidentis, quod est absurdum.

xxii. Resp. negando assumptum 1^o. quia verius est sonum tormenti bellici, aut campanæ, vocem concionatoris æquè cito à remotioribus ac à proximioribus audiri: unde in mea sententia melius dicitur audiri sonus tormenti bellici, &c. quàm in sententia adversariorum dicentium sonum à sono per medium produci: in hac enim sententia sonus esset soni sonus, in nostra verò esset tormenti bellici aut campanæ, &c. sonus; utpote ab aëre ab illis immediatè moto; deinde licet sonus tormenti bellici aut campanæ (de quo solum potest esse dubium) non æquè cito à remotioribus ac à proximioribus audiretur, adhuc deberet dici sonus tor-

menti bellici aut campanæ, &c. utpote causæ producentis qualitatem sonoræ, ac 1^o. moventis aërem, ex cuius motu sonus producitur, juxta illud Aristot. 2^o. de Anima textu 51. *id igitur sonum efficit, quod movet usque ad aurem, aërem continuatione unum.*

xxiii. Obijcies 2^o. duarum testudinum motà fide unà, movetur & alia ejusdem toni, sonumque edit silentibus aliis, ergo sonus transfertur medio aëre moto, ad cuius motum alia fides movetur.

xxiv. Respondeo negando consequentiam, quia inde solum sequitur ex repercussione corporum aërem moveri, quod docuimus supra; non verò medio aëre moto, sonum ad aures audientium transferri, quod negamus contra Avicennam.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Odore & ejus Objecto.

D V B I V M I.

Quid Odoratus & ejus Objectum.

R E S O L U T I O.

I. **D**ico, Odoratus est potentia sensitiva odoris, ac proinde proprium ejus objectum est odor. Ita omnes.

D V B I V M II.

Quid sit Odor.

II. **D**ico, Odor est qualitas solo odoratu perceptibilis. 2^a. pars hujus resolutionis experientia patet.

III. Probatur prima contra Heraclitum, & veteres Philosophos ac Medicos, qui voluerunt odorem esse vaporem à corpore odorifero emissum; & contra Avicennam, qui voluit esse spiritum humidum: objecta nobiliorum sensuum, ut visus & auditus, sunt qualitates, nec est ulla necessitas dicendi objectum olfactus esse substantiam: ergo, &c. 1^a. pars patet ex præmissis. 2^a. probatur, quia (præterquam quod Aristot. 2. de anima c. 6. dicat substantiam non esse sensibilem per se, sed per accidens, id est, per accidentia illi superaddita) tota necessitas, quæ adferri posset, est, quod odor nusquam perciperetur sine evaporatione, vel exhalatione substantiali, sed hoc nullo modo est; ergo, &c. Probatur minor, quia falsum est odores semper diffundi cum aliqua tenui substantia, (licet id ad aliquod spatium fiat) nam non est ulla ratio dicendi odores potius diffundi per totum spatium cum aliqua tenui substantia, quàm sonos, colores, &c. ut solutione argumentorum patebit: ergo, &c.

IV. Confirmatur hæc minor, quia incredibile est corpora odorifera ad tantum spatium suam substantiam exhalare & evaporare ad quod odorantur: Deinde posito pane super aquam illum odorantur ex profundo maris pisces; quis autem crederet panem per exhalationes suas substantiales mare tam profundè dividere, quod fieri deberet: ergo, &c.

V. Dices 1^o. homines experiuntur sese odoribus nutrire; sed non odoribus præcisè, ergo odoribus receptis in exhalationibus substantialibus.

VI. Respondeo concedendo totum, inde tamen non sequitur odores ubique diffundi cum aliqua tenui substantia, sed ad certum spatium, v. g. quod homines experiuntur sese nutrire odoribus: sapientem enim sentiunt odores, quibus nutrire non possunt; alioquin dici oporteret vultures ad multa miliaria nu-

triri odoribus cadaverum, quod difficulter crediderim, si verum est quod hic refert Albertus cap. 25. vultures, scilicet, ad 50. miliaria distantes, sensisse odorem cadaverum in bello Trojano occisorum.

VII. Dices 2^o. corpora odorifera continuà odoris evaporatione amittunt odorem, exsiccantur, & flaccescunt, unde debent vase aliquo concludi; in humido loco servari, &c. ergo, &c.

VIII. Respondeo concedendo totum: quia omnem evaporationem non negamus, magis quàm in propagatione soni negaverimus omnem motum & tremorem aëris: sed solum docemus sine illa evaporatione adhuc diffundendum odorem, sicut revera putamus diffundi ad spatium aliquod, in quo evaporationes & exhalationes alio sensu, quàm odoratu, non percipiuntur: & hinc ulterius patet, cur aliqui odores, ut fabarum, ad aliquod spatium caput lædant & dementent; alii sanent, ut rosarum, quamquam putem id etiam referri posse in qualitates noxias vel salutare; alii nutrant: &c. non tamen ad omne spatium, ut docet experientia.

IX. Dices 3^o. multa corpora odorifera non emittunt odorem, nisi calefacta & manibus compressa: sed hoc ideo est; quia per calefactionem & compressionem excitantur ad evaporationem: ergo, &c.

X. Respondeo id fieri, quia in nonnullis odoriferis cortex seu superficies, habet se instar palpebrarum respectu oculorum, quæ nisi aperiantur, oculi non vident; ita similiter de illa superficie aut cortice, quia nisi per calorem ejus pori aperiantur, vel ipsa per contritionem quasi tollatur, cortex non emittit odorem.

D V B I V M III.

Quomodo odor diffundatur per totum spatium?

R E S O L U T I O.

XI. **D**ico, odor nec per species intentionales contra Murciam, Telles, Poncium, Fromondum nuperrimè, &c. nec per evaporationem substantiæ seu spiritus odoriferi contra Philoponum, Iavellum, &c. quibus videtur ad stipulam Ovidius, diffunditur per totum spatium, in quo percipitur; sed per seipsum prout de sono diximus, ita tamen ut odor odorem non producat contra Comimbrenses, Arriagam, &c. quibus etiam videtur favere Ovidius; sed sola corpora odorifera.

XII. Probatur 1^a. pars, quia non est potior ratio admittendi species odorabiles, quàm audibiles; sed